Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

egressus abbas inuenit sic illi dixerunt. Tunc uocauit illum et dixit. fili quid di
cunt fratres de te. Non tibi sufficit ieiunare sicut et nos. Aut non audisti in euuangelio
dominum dicentem. de doctoribus quia non est discipulus super magistrum. Erit enim perfec
tus si sit sicut doctor eius. Dic michi fili. fetor iste talis unde procedit. Stans itaque beatus Syme
on inclinato capite. nichil respondebat ei. Et iratus abbas ait. Expoliate eum. Et ex
poliantes eum inuenerunt funem circa corpus eius ita ut nichil appareret ex eo nisi
summitas. Et exclamans uoce magna dixit. Unde nobis aduenisti homo. Destru
ere uis ut uideo regulam nostram. Recede hinc. et perge quo cupis. Et cum omni labore
et dolore. tulerunt a corpore eius funem unde erat inuolutus. una cum putrida car
ne eius. facientes illi studium. Qui per multos dies sanatus est. Post hoc uero exiens de
monasterio nullo sciente. ingressus est in desertum. eratque ibi puteus non longe
a monasterio. in quo non erat aqua. sed inmundi spiritus habitabant ibi. Et ipsa noc
te reuelabatur abbati. quod multitudo populorum circumdaret monasterium suum cum fustibus
et gladiis dicentes. Da nobis Symeonem seruum dei timothee. Sin autem incendimus
te et monasterium tuum. quoniam exasperasti istum hominem. Et euigilans dixit ad fratres. filioli
mei. uisionem uidi. et multum in illa turbatus sum. In nocte uero alia uidit multitu
dinem uirorum fortium astantem sibi et dicentes. Da nobis Symeonem seruum dei. dilectus est
enim angelis dei. Quare eum exasperasti. Maior te est apud deum. Omnes enim angeli contrista
ti sunt propter illum. Istum autem preponere habet deus in mundo. ita ut multa signa faci
at. que nemo fecit. Exurgens abbas cum timore grandi. dixit ad monachos. fratres requi
rite michi hominem illum et adducite in hunc locum. ne forte propter illum omnes moriamur.
uere sanctus dei est. mirabilia enim magna uidi. et audiui de eo. Tunc omnes monachi
exeuntes requirere eum. et ubique perambulantes non inuenerunt eum et uenerunt, nun
tiauerunt abbati dicentes. Nullum locum reliquimus ubi non quesierimus eum tantummodo
non in deserto puteo. At ille dixit eis. Rogo uos fratres. uadam et ego uobiscum. ad queren
dum eum. uere sanctus dei est. Et assumens secum quinque ex illis. uenit ad puteum. Videns
illos beatissimus Symeon. cepit adiurare eos dicens. Rogo uos serui dei. relinquite michi
unam horam ut reddam spiritum meum. Modicum adhuc ualde deficiens est fatigata anima
mea quoniam exasperaui dominum. Dixit ad illum abbas. Veni serue dei. eamus ad monasterium.
Hoc autem cognoui de te. quod uere seruus dei es. Illo uero nolente. ingressus in pu
teum cum quinque monachis. adducunt pedes eius flentes et dicentes. Peccauimus in te
serue dei. indulge nobis. Beatissimus Symeon gemebat dicens. Quare me gra
uatis infelicem et peccatorem. Vos enim estis serui dei et patres. Fecitque ibi annum
unum. Post hec egressus occulte. perrexit in montem. non longe. ibique multo tempore

eum ad monasterium. omnesque prostrauerunt se ad